DE MEDICINAE DIGNITATE ATQUE NECESSITATE DISSERTATIO INAUGURALIS…

Giovanni Rossati



DE

MEDICINAE DIGNITATE ATQUE NECESSITATE

Dissertatio Inauguralis

QUAM UT IN HAC SCIENTIA

DOCTORIS LAUREA

CONDECORETUR

IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA

CAES. R. PATAVINA UNIVERSITATE

PUBLICI JURIS FACIT

JOANNES ROSSATI

TYROLENSIS A PEDEMONTE



PATAVII

TYPIS SEMINARII

1838.



DIGNISSIMO BURSERII CONSANGUINEO
VALLIS AUSUGIAE CLARISSIMO CLINICO
ATQUE HUMANISSIMO
PERAMANTISSIMO MIHI SOCERO
DOCTORI
BENEDICTO DE TROGHER

Tandem dies illa illucescit beatissima diuque expectata, qua scholasticis disciplinis libero atque soluto licet mihi optatam contingere metam, quam gressus mei semper spectarunt, qua tandem praestitorum laborum praemio atque solatio lauro mihi tempora cinguntur. Academica lex expostulat, ut qualiscumque, examinibus transactis, antequam laurea condecoretur, aliquod ad medicinam pertinens industriae suae documentum praebeat. Haerebam ego initio in argumenti selectu, cum et mei ingenii debilitas et cognitionum defectus occurrerent ante oculos; tandem de dignitate, atque necessitate medicinae loquendum esse existimavi, de ea quidem scientia, quam et ego et opti-

Honora medicum propter necessitatem.
Eccli. cap. XXXVIII.

Optime sentio, Professores clarissimi atque humanissimi, argumentum, quod pertractandum suscepi, ut academicis legibus ac consuetudinibus satisfaciam, atque optatam denique diuque expectatam consequar lauream, mihi esse difficultati, imo non bene inceptum opus perficere; eoque mihi res magis difficilis videtur et ardua, cum de dignitate et necessitate scientiae illius mihi dicendum esse sentiam, quae nostris hisce praecipue temporibus, ob continuas introductas innovationes, ob plurimam opinionum discrepantiam, ob systematum diversitatem, hypothesium ac theoriarum fallacitatem, propter denique cujuscumque gentis medicorum somnia, qui inter se invicem pugnant, cum semetipsa quodammodo bellum iniit, vulgi itaque quasi fabula irrisa, contempta ludibrioque habita. Attamen sperandum mihi est, fore ut vos sat aperte cognoscatis, me haud sane hujusmodi opus suscepisse, ut scientiae specimen ac cognitionum mearum exhiberem (quae quantae sint quamque debiles,

aperte cognoscitis) sed tantum ut muneri satisfacerem meo, et legibus quodammodo obtemperarem. Quicumque tamen hujusce rei sit finis, vos precor obtestorque, ut illum specetis tamquam illius diligentiae specimen, qua vestras ego lectiones sum prosecutus, et certus fiam de venia mihi concessa, cum opus perfectum numerisque omnibus absolutum ab ingeniis meo praestantioribus sublimioribusque medicis sit expectandum.

Illud etiam mihi vires addit, scientiam medicam non somniorum atque fallacium hypothesium conjecturarumque et systematum esse filiam, sed tantum ex factis, ex observatione, ex experientia ortum duxisse suum. Il lum rationabilem medicum, illum veracem hujus scientiae cultorem adpellam, qui in praxi sua observationem atque experientiam spectabit, qui in istis naturam morborumque causas inquiret, qui ex hisce morbosorum phaenomenorum explicationem deducet, medicorum principiorum ex hisce originem, et qui tandem hisce omnibus tantum suffultus ad morbos curandos accedet. Qui sic se habebit, naturam certe ducem sequetur, quam si fideliter et rationabiliter sectabitur, ad cognitionem atque explicationem causarum morborumque, quas quotidie arcano quodam modo atque ratione inter homines nasvenire videmus, facile perveniet, quin ad fallaces hypotheses, ad falsas conjecturas, ut de hisce rationem reddat, confugiat. Neminem enim latet, cum qui in morborum indagine, natura duce neglecta, hypotheses tantum creans ac somnians, ut morbo-

sorum phaenomenorum rationem reddat, factis conjecturas substituit, nonnisi falsas ideas, hinc confusas, atque incertas opiniones incertamque agendi methodum sibi posse comparare. Ex his quae hactenus dixi, quilibet facile intelliget, me de dignitate atque necessitate verae tantum medicae scientiae velle disserere, obscura simul atque incerta illorum spernens principia, qui, experientia postbabita, falsis hypothesibus innixi, nova sibi efformant systemata, quasi vellent, brevibus paucarum ipsorum cognitionum finibus naturam omnem circumscribere .. Nimis sane deplorabilia sunt principia ac perniciosa quae tantum temporis medicinae progressus retardarunt, quaeque opprobrio ludibrioque tanto scientiam hanc adfecere. Ego vero grates plurimas Deo optimo maximo persolvam, quod ab iis usque temporibus, quibus medicis disciplinis instituebar, eus semper reperi Professores, qui in multiplicibus opinionum diversitatibus exemplo dictisque mihi suaserunt, illas tantum ex omnibus colligendas esse atque amplexandas, quae ad rationalem medicinam propius accederent, illorum contra juvenum mediocorum, mortaliumque sane fatalium sortem commiserantes, qui statim ac Aesculapii templum deserverunt, caecorum instar, quod sibi ante oculos parabatur systema, sunt amplexati, in ipsius, ut ita dicam, quoque systematis principia jurantes. Et re quidem vera, paulisper, si volunt, systema aliquod, locum habere posse in medicis disciplinis concedatur. Veritas una est, una natura; illud igitur unicum propterea que ve-

4.90

ram systema, cujus principia ad veritatem solammodo detegendam veramque naturam cognoscendam nos perducet. Quaeso nunc, tanta in doctrinarum sibique etiam oppositarum diversitate, cui credam? Quam teneam, ut veritatem fideliter sequar? Brown excitabilitatem? Recentium contrastimulum? Sanguinolentam Broussais aut caecam homeopathiam? Vel simplex esse cupiam empiricus, ut ratione destitutus, nil umquam inde cognoscam quoad veram morborum naturam, nisi fallacia aliqua signa, nihil de remediorum indole ac proprietate, nihil de eorum cum morbo relatione? Atque in hac ignorantia versaus obscuris incertisque meis experimentis vitam hominum aerumnosorum eorumque valetudinem tradere cupiam, qui meis omnino curis dereliquuntur?

Haud unquam sane hoc accidet. Praeceptorum meorum conspicuis ego insistens vestigiis, iter solummodo experientia confirmatum percurram, hoc unum ad verae naturae cognitionem, causarum atque effectuum variorum morborum, qui tam frequenter mortalium vitam divexant, me perducet. Neque mihi medica scientia hoc sub respectu habita, tam arduum ac difficile evadet, quemadmodum visum est superius, illius dignitatem atque necessitatem aperte demonstrare.

Et sane, ut medicinam hisce dotibus destitueremus, illud esset probandum, nunquam in hominibus locum habuisse, nec unquam locum morbos habere posse. Confitendum pariter esset, homines sanos atque robustos in iis regionibus natos esse et educatos, ubi nunquam ad-

erit occasio, ut ab animalibus, neque a ferocibus incolis atque incommodis offenderentur, tamque praeterea pacificos ac tolerantes esse, ut nunquam dissensiones orirentur, nunquam inimicitiae rixaeque inirent, insuper subjici minime posse externis viribus influentiisque atmosphaericis, semper in ciborum selectu fuisse edoctos atque epularum, quae ad vitam sustentandam sunt necessariae: peritissimos etiam fuisse substantiarum organismo fatalium atque infestarum: abesse a veneficiis posse, parce semper, sobrie et moderate naturae consuluisse necessitatibus; ut paucis plura complectar, esset demonstrandum, homines juxta naturae praecepta vitam semper duxisse, juxtaque eadem vitam ducere, quae semper fuerit tranquilla, pacifica, sapiens, activa; in cibis atque delectationibus limites a sapienti natura positos, supergressos nunquam fuisse. Quis vero unquam hoc demonstrare valebit? Utinam genus hominum ita se haberet! Quam dulcior hominibus vita redundaret? Quam laetiores breves dies mortalibus concessi beatioresque perducerentur? Ast eheu nimis dolendum, hanc nunquam hominum fuisse conditionem! Nimis profecto scientiae-artis medicae nobis necessaria sunt auxilia! Hisce sublatis, quid nunquam de nobis?

Ex iis omnibus, quae ex antiquis narrationibus, et historiis deduci possunt, nunquam populus fuit detectus, rudis quamvis atque incultus, in quo saltem nonnullae ex supracitatis circumstantiis locum non habuerint. Recte igitur asserere mihi licebit, nunquam in hoc

terrarum orbe gentem fuisse detectam, a qua morbi continuo abfuerint. Ex morborum praesentia eosdem expellendi ac destruendi exsurgit necessitas; atqui una est medica scientia, quae adminicula omnia atque adjumenta ad hoc consequendum nobis praebet; reliquum est igitur, ut quocumque tempore, quibuscumque gentibus et nationibus sit medicina fueritque necessaria.

Quod si penitius praesentem hominum conditionem consideremus, in qua nati, adhuc matris gremio inclusi, morborum germina ferunt, tristem sane parentum vitiorum hereditatem atque consectarium, quorum vita exilis, antequam in lucem exoriantur, languescit, quique jam primas vitae auras vix exspirantes saepe ex ignorantia obstetricum pereunt, vel ob matris crudelitatem, quae materni lactis debitum ac naturale ipsis alimentum negat, in qua regiminis causa, sub quo vitam degunt, falsa institutione imbuti praemature venereis sese tradunt amplexibus, in qua ipsos jam aetate provectos tristes agitant imagines, in qua naturali senectutis morbo, innumeri alii adduntur sive congeniti, sive praeterito comparati tempore; si tandem attente animadvertamus, quam facillime possit homo, rationis lumine destitutus, cuicumque passionum generi, erapulae, irae, voluptati, odio atque amori satisfacere; et si eodem tempore oculos nostros ad agentium innumeram quantitatem potentiasque nocentes tum externas, tum internas convertere velimus, quae continuo hominis vitam valetudinemque aggrediuntur, eique pa-

rant insidias, quemadmodum sunt contagiorum turba paene innumera atque epidemiarum; tunc utique iu comperto erit, incertam esse et minus firmam hominam vitam et valetudinem, uuam praeterea tantum medicinam exstare quae moneat quod ipsi detrimento esse posset, quaeque dum ex bac parte aegrotantis animum spe ac laetitia perfundit, benigna ex altera manu pharmaceutica auxilia ipsi propinans aptiora, fatali morbo superato atque devicto, vitam iternm valetudinemque pristinam reddit. Ast dicet fortasse quispiam. Verum utique est talem mortalium esse conditionem, qualem superius demonstravimus; attamen minime esse medicinam absolute homini necessariam, sola enim natura potuit et potest morbis consulere, eosque jam adventantes propulsare absque medici aut medicae scientiae adjumento. Sed una vis naturae medens, mechanismus unus naturae salutaris, non sat est ad quemcumque morbum debellandum atque coercendum. Verum quidem est, et nemo ibit inficias, dum ipsa nos docet experientia tantum vires naturales ad plurimos vincendos morbos superandosque sufficere. Et anne dolendum quod plerique ex philosophis omnem medicam scientiam atque ex omnibus suis partibus minime cognoscentes, eandem tanquam mendacium, artem inanem, imo fatalem ac perniciosam spectant, cum praesertim animadvertant crebra phaenomena quae saepe saepius in morborum decursu contra spem, praedictiones, medicorumque sponsiones locum habent. Frequentes praeterea ac spontaneae sanationes

etiam in iis, qui medicis destituuntur adminiculis, vel qui etiam methodis inter sese contrariis curati fuere; repentinae in melius eorum mutationes, de quorum interitu jam actum conclamatumque fuerat, hoc quoque evincit.

Sunt etiam qui debili infirmoque ingenio praediti expostulant, ut medici omnes debeant sanare morbos, quos curandos suscipiunt, imperitiae atque medici ipsius inscientiae tristem omnem eventum tristiaque consecutaria tribuentes, ex eo quod medicinam omnibus adminiculis certisque remediis ad omnes morbos propulsandos patent instructam. Ast eorum opinionis fallaciam aperta cognoscent, si animadvertant, plerumque non tantum tribuendam esse mortis frequentiam eorum qui morbo fuerunt adfecti impotentiae, imbecillitati, aut medicinae mendacio, quam medici inscitiae, veram scientiam minime exeolentis, vel illorum negligentiae, qui nimis sero ad veros doctosque medicos confugiunt, vel eorumdem inobedientiae in omnibus medicorum praeceptis consiliisque exacte exsequendis. Quot vero casus non adsunt, in quibus vel ignorantia, vel contemptu, providae hygienis praeceptis contemptis, aut neglectis, aegrotus ex morbo ad alium transit graviorem, ex hoc vero ad interitum lacrymandum? Praeterea cogitent, medicinae potestatem, quae prae aliis omnibus scientiis innumeras expostulat cognitiones, etiamsi huedum plurimos progressus retulerit novis suis ex experientia atque observatione detectionibus, adhuc tamen suis limitibus, et quidem angustis, esse circumscriptam. Neque illud

obliviscantur, vitae hominibus concessae finem tandem esse impositum; mors vero ceu tributum spectanda, a mortalibus indiscriminatim persolvendum. Sed concedamus etiam, paucos esse morbos, quos medicina superare potis est, prae innumera illorum quantitate, super quos nullam ipsa potestatem exercere valet. Quid inde? Hujus in quibusdam casibus ac circumstantiis ignorantia, aut incertitudo ceterasne valebit virtutes ejus omnes destruere, atque ipsius potestatem ceteraque benigna auxilia hominibus allata redarguere? Valebit ne incerta atque inania ea multa ac efficacia reddere auxilia, maximasque insuper utilitates, quas homini in poenis dirisque versanti doloribus, nec non moralium etiam dolorum affectionibus perculso suppeditat? Convertant ii omnes denique oculos, qui haec jactitant in medicinae ludibrium, ad maximas atque innumeras eas utilitates, quas semper adtulit, quasque hisce quoque nostris temporibus nunquam adferre desinit providae hygeiae ope? Quis unquam, nisi politica medicina in causa fuit, cur loemocomia exsurgerent ad grassantis morbi ferocitatem coercendam, pestis scilicet orientalis, quae commercii ope, vel activi cujuscumque conductoris, ex orientali plaga discedens, haece nostras regiones miram ac terrificum in modum undique vastabat? Ecquis unquam, nisi medica scientia, in vaccinatione antidotum reperit contra communem illum atque terrificum morbum contra variolas, qui ab Africae desertis oris, adustisque Aethiopiae regionibus, atque Arabiae ad

nostras appulit oras, atque per universam pene Europam terroris et metus faciem praeseferebat; qui nullo juvenili aetati respectu habito, neque classi, aut nobilium conditioni, neque sexui continuo mortalibus ictibus infandas victimas morti consecrabat, ceteros vero affectos superstites, dolentibus atque miserandis vitae suppliciis ita concutiens, ut deformitates et novos varii generis morbos excitaret? Plura alia hic proferre possem exempla, quae medicinae utilitatem demonstrarent in legibus quoque ferendis, quibus adjuti homines vitam beatiorem perducere valerent, nisi satis prolatum esse existimarem, quod ad eos convincendos sufficiat, qui de scientiae medicae necessitate bene minime sentiunt. Quod si iterum de essentia atque potestate naturalium virium sermo recurrit, tum asserendum est, solo equidem naturae interventu atque impulsu nonnullos morbos devinci posse ac superari, sed vel plurimos alios simplici vi naturae medicatrici traditos, non tantum debellari ac destrui minime posse, verum etiam absque scientiae nostrae concursu et adjumento effici, ut organismi interitus citius adveniat, vel saltem morbus ipse aegroti detrimento, doloribus et sollicitudinibus in longum producatur.

Et re quidem vera, in naturali quoque rerum ordine, opus est ad simplices naturales vires spectans fetum expellere, placentamque distrahere absque ulla perturbatione. Quoties vero non fit, quod vel ob ingentem fetus molem, vel ob monstruosam, ut ita dicam, ipsius

configurationem, vel ob matris partium malam conformationem, vel dolorum debitorum defectum, aliasve hujusmodi causas, natura per se ipsam minime valeat neque ad fetus expulsionem, neque ad placentae distractionem, quin imo immaturae morti vel mater, vel filius, vel uterque occurreret, nisi ars nostra quasi divina in naturae auxilium convocaretur? Idem dicatur de febribus accessus saepe gravibus, perniciosis, interdum etiam lethalibus. Si solis naturae viribus relinquantur, vel citius vitam suffocarent, vel nisi post longum temporis decursum evanescerent. Ast subito medicina ad febrifuga confugit, ad peruvianum corticem, ipsiusve praeparata, ad sulphatem, ad citratem chininae, quae omnia docta manu suppeditata, in causa sunt, cur morti subducatur aegrotus, et pristinae restituatur valetudini.

Si quis crudeli illo morbo adfectus, qui per nostras undique grassatur regiones, quique lues venerea adpellatur, naturae tantum viribus se credat, nonne, experientia teste, post dira certamina atrocesque dolores, immaturae infandaeque morti occurreret, nisi antidotus noster, specificus mercurius, quem medicina docta benignaque manu suppeditat, omni sollicitudine atque dolore liberaret? Idem quoque dicendum de sulphure in scabie, quemadmodum etiam de innumeris aliis morbosis affectionibus dici posset. Ex hactenus dictis concludendum jure meritoque est, in plurimis morbis parum aut nihil vires naturales solummodo valere nisi medicae scientiae accedat

auxilium; veram medicum ac rationalem hasce vires semper spectare debere, ut iisdem, nisi sufficiant, ad morbos sanandos opem ferat; vel earum fungi muneribus, si vel ex omni parte deficerent, vel ipsarum interventus impediretur. Neo sperandum mihi erit, fore ut quispiam morbo affectus, qui a meis dictis atque demonstrationibus minime suasus, omnia remedia medicaque auxilia contemneus, salubrem tantum naturalem mechanicam vim spectet, eum verum indobitatumque sit, hominem naturali quodam ductum impulsu, cito citius optare imminentibus atque opprimentibus morbis liberari. Haud igitur negari poterit medicinae utilitas ad homines sustinendos atque sanandos: negari igitur minime potest ejusdem necessitas. Quae veritas magis magisque confirmatur, si animadvertamus, vel maxima scientia praeditos omnis aetatis omnisque regionis homines magnis ratione habita utilitatibus, quas genus hominum deinde ex medica scientia percipiebat, nec non innumeris ipsius beneficiis, a remota jam aetate ad nostram usque semper ad majores bojosce scientiae progressus inter se certavisse.

Neque hic assertionem nostram contraria adversariorum sententia infirmabit: Romanos, detrimenta potius medicinae respicientes, quae deinde eorum civitati inferebantur, per quinque saeculorum decursum omnes medicos exilio multasse; quod quidem fama solummodo et infirma historica traditione ad nos usque pervenit. Ponamus etiam qood reapse haec omnia locum habuerint. Ast ego quaeso: Qui-

busnam temporibus ac circumstantiis Romae fuerunt medici ludibrio atque persecutionibus adfecti? Septimo Aerae vulgaris saeculo, quo propter Barbarorum excursiones, qui ex algidissimis septentrionalibus locis in hasce amoenas civitates irrumpentes, beatissimum Italiae regionem undique excursantes, in rebus scientificis omnia evanuerant, ac penitus oblivione fuerant deleta; iis, inquam, temporibus, quibus Romani orbis universi potestatem armis sibi vindicabant, nihil praeterea de scientiis artibusque solliciti. Prae ceteris vero medicina in desuetudinem abierat; namque Romani bellis victoriisque adsueti, laboribus corpus exercebant; hinc vitae sobrietas atque continua exercitatio morumque simplicitas haud sane tam crebris eosdem subjiciebat morbis, qui si invaluerant, pluries naturae viribus derelicti facile curabantur. Praeterea illorum medicina temporum irrationabilis erat, quae solummodo nonnullis consuetudinibus ex vulgaribus observationibus deductis constabat, quaeque tum superstitione, tum mendacio obruebantur. Hisce denique adde crudelem rademque sanandi rationem a medicis, vel potius agyrtis illius aetatis adhibitam, qui igne ferroque candescente saepe saepius in aegrotis curandis, vel ipsos Romanos, licet imperterritos homines, metu adficiebant atque terrore. Sed etsi vicissitudines hujusmodi instarent, etsi tam ferae excitarentur in medicos persecutiones; attamen cum Romanorum potestati luxus etiam conjungeretur, luxui vero ac mollitiei major morborum frequentia, tum factum

fuit, ut medicinae sero cognoscerent necessitatem. Tunc ex augusto claustrorum silentio, ubi veluti venerabili deposito haec scientia conservabatur, iterum fuit revocata; hinc postea adventantibus felicissimis diebus, tota sua luce confulsit: hinc magis conspicuis laudibus atque honoribus prosecuta inter universi terrarum orbis nationes triumphali quodam modo curru invecta, ubicumque dominata est. Hinc conspicitur, ex ipsis suis persecutionibus medicinam magis decoris luminisque sibi comparasse.

Quod si honorabilior sane atque laude dignissima illa est censenda scientia, quae majorem sublimioremque finem sibi proponit, quae nunquam medicina sublimior, quae honorabilior, quae majoribus laudibus extollenda? haec immensa quantacunque est extensione atque cognitionum numero paene infinito nil aliud spectat nisi hominem si sanum incolumem servare, si aegrotantem pristinae sanitati restituere, morbos insanabiles mitiores levioresque reddere, seu mitigare; atque sic vitae curriculum minus grave ac beatius longius ad tempus perducere?

Quid homini vita valetudineque gratius, quid jucundius? Medica igitur scientia ea est, quae in immensa sapientiae doctrinaeque vastitate prae omnibus aliis hominem Deo conjungit, quin imo electum Dei natum ostendit, tum praecipue, cum in praestandis pharmacia salutaribus, quibus possit humanum genus tot malis totque vicissitudinibus subjectum liberari, vel amissam, vel perturbatam homini vale-

tudinem reddit, aliquid portentosum in se ipsa inducens et praeportans, aliquid prodigiosum ac prope divinum, quod mortalium animos in jactam sui rapit admirationem. Jamque a primis humani generis temporibus adeo homines eam honoribus ac aestimationibus sunt prosecuti, ut vel ipsi sacerdotio communi quodam et amico vinculo connecteretur atque uniretur, ut tum spiritus, tum corporis eidem personae cura committeretur. Hinc in Ecclesiastico cap. XXXVIII. apertis verbis sequentia legimus:

»Honora medicum propter necessitatem; Altissimus enim creavit illum, et non discedat a te, quia opera ejus sunt necessaria«.

»Altissimus de caelo creavit medicinam«.

»A Deo est omnis medela. Da locum medico..... Disciplina medici exaltabit caput illius, et in conspectu magnatorum collaudabitur«.

»Altissimus creavit de terra medicamenta, et vir prudens, non abhorrebit illa«.

Eadem profana historia certos nos reddit, in Aegypti et Graeciae regionibus ceterisque Asiae provinciis medicinam excultam fuisse atque mysteriose exercitatam a Sacerdotibus ipsis inter templi parietes; quin imo Sacerdotes veterum nationum practice eandem minime exercebant, nisi prius, uti reliquas sacras scientias, eandem de more didicissent. Antiquitus Diis ipsis hoc tam nobile munus erat demandatum, qui in eorum templis tamquam thesaurum eandem servabant; quique hanc exercebant, Divinitatis honoribus evehebantur.

Hinc primi medicinae ministri Sacerdotes fuere, quibus templa atque altaria sunt erecta, laudes honoresque tributi, quosque Deos, homines habuere, et quotidie deinde divinis laudibus prosequebantur. Hinc Aesculapius Apollinis filius vindicatus fuit; Hygea pariter alique utpote tales habebantur. Ex istis deinde ad philosophos munus hoc demandabatur; a philosophis ad nobiliorum aestimatiorumque hominum classem, qui hinc honoratiores dicebantur, transegit, deinde ad doctores, sive doctos. Denique haec scientia certis quibusdam legibus, firmis validisque principiis a publicis praeceptoribus tradita fuit ac confirmata, et tum publice potuit quisquis eam excolere, sicuti licet et nunc cuilibet tam nobili disciplinae rite operam dare, adprobatoque publice eandem exercere.

Constantinus Magnus anno 333 praecepit, ut medicorum uati, ex debito praestandi bello operam essent immunes. Arcadius et Theodosius hoc idem privilegii decretum in posterum sanxerant. Medici praeterea tutelae munere carebant, neque militibus hospitium, vel alia ad bellum necessaria praestare tenebantur. Similia quoque privilegia subsequis annis medicis tribuebantur.

Quod vero medicina dignitatem etiam praeseferat, sublimemque locum prae ceteris scientiis propter maximam atque incomparabilem ipsius utilitatem mereatur, ex eo satis comprobatum est, quod summi ponderis officia sunt, quae medici hominibus praestant, cum antiquitus vel ipsi philosophi medicinae originem e caelo ipso repetant.

Quid vero de aestimatione dicam, nec non de honoribus, medicis sublimioribus a praecipuis etiam Europae regibus atque principibus tributis? Nonne protomedici, atque archiatri Lutetiae Parisiorum, Vindobonae, Petroburgi, Berolini, etc., nonne, inquam, tamquam Status consiliarii habentur, et sunt? Nonne professores medicarum disciplinarum saepissime, sicuti et multi alii clinici, a Principibus et Regibus diversis nobilitatis gradibus condecorantur? Iidem Principes populique orientales quanta veneratione ac reverentia Europeos Aesculapios non prosequuntur? Atque omnes haecce laudes, praeconia et honores, qui medicis antiquitus tribuebantur, quique nostris etiam hisce temporibus tribuuntur, nonne utilitatem, dignitatem atque necessitatem scientiae — artis medicae sat aperte praedicant?

Hoc sane illud erat, quod totis viribus demonstrare conabar.


504

THESES DEFENDENDAE

I.

Medicina est scientia-ars.

II.

Nullam in medicina dari potest systema.

III.

Scientiarum omnium et artium, propter utilitatem, medicina excellentissima.

IV.

Medicina inter mortales necessaria.

V.

Medicinae ortus et progressus e solis experimentis atque observationibus recte institutis.

VI.

Hypotheseos et conjecturae diversae diversaque systemata non parum medicinae progressus retardarunt.

VII.

Vis naturae medicatrix non omnes sanat morbos.

VIII.

Temperamentorum diversitas medicinae vim atque virtutes minime debilitat.

IX.

Illi tantum vocandi medici qui rationem et naturam duces sequuntur.

X.

Ignari imperitique medici ac deceptores philosophorum poetarumque ludibriis dignissimi.

XI.

Medicina a philosophia sejungi minime potest.

XII.

Vocabulorum graecorum usus in medicina non laudandus.